

Te fospite , clarissimos Viros , Majores nostros , quos sapientiae muneribus exornatos , & doctrinæ laureis redimitos , prisca ætas coluit , non desideramus : Ita & alios gentis nostræ procederes , quibus prima honorum culmina , & potestatis amplissima jura , collata sunt , Te protegente , vetusto tempori non invidemus .

Ad quid igitur foris inquirere Patronos , qui defendere quandoque coguntur , vel quod nolunt , vel quod nequeunt , vel quod ignorant ? Hoc sane Scriptoribus animum imminuit , deflectitque vires ; unde postmodum conqueruntur , vel oleum operamque perdidisse , vel , quod deterius est , pro Patrono invenisse hostem , pro patrocinio calamitatem . Hinc ut plurimum laboribus suis posteritati prodesse nolunt , quia non inveniunt Virum , cui illos